



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra**

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ, 1715**

**VD18 10988289**

30. Septembris. Sentio ego in corde musicam, sed sinè voce, audio harmoniam, sed sinè sono; tam jucundam tamen sentio, ut nihil ei in mundo comparari possit. S. Ignat. apud Bart. I. 4. f. 27.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)



30. Septembris.

*Sentio ego in corde musicam, sed sine voce,  
audio harmoniam, sed sine sono; tam ju-  
cundam tamen sentio, ut nihil ei in mun-  
do comparari possit. S. Ignat. apud Bart.  
l. 4. f. 27.*

**A** Nimus tuus arbiter est felicitatis  
tuæ, imò conditor: tantam habes,  
quantam vis. Frustra inculamus fortunam,  
malè infamamus naturam, quasi nocere  
forent: utraque innocens est. Omnis feli-  
citas in te solo est.

Miseria ac tristitia nostræ inertiae inven-  
tum est; quid enim facilius? quid magis si-  
nè apparatu? quàm nihil appetere creatum;  
quo facto placida, quæta, jucundissima  
sunt omnia.

Facilè parabile calamitatis omnis reme-  
dium est, non quærendum peregre, in no-  
bis est. Prout res accipimus, ita nos affici-  
unt; nullum telum profundius vulnerat,  
quàm ipse admittas.

Vera voluptas pariter in nobis nascitur,  
& pro mensura cognitionis adolescit, pro  
majori major. Nihil extra te quærat, ni-  
hil desiderat; illud cura, ut Deus cor tuum  
im-



impleat, reliqua sine damno missa facies  
omnia.

1. Octobris.

*Si rara vobis, & inventu difficilis discretio  
videbitur, per obedientiam, ad quam  
confugiendum, ejus defectum ad securi-  
tatem supplete. S. Ign. Ep. ad Hispan.*

**U**T dioptrâ jaculator, ita tu superioris  
judicio utere, nisi à scopo velis ab-  
errare. Intricata perfectionis semita est;  
nisi Ariadna filo te ducat obedientia, peri-  
culum certiùs, quàm exitum reperies.

In eminenti, angustòque calle, qualis  
est, qui ad cœlum ducit, ad dextram præ-  
cipitia patent, & ad sinistram. Felices,  
quos obedientia manuducit! hæc suos non  
extra casum tantùm, sed & extra pericu-  
lum ponit.

Qui sanctissimi esse volunt, gravissimè  
frequenter errant; scilicet in edito proni-  
us est vertiginem pati. Huc, qui suo, non  
superioris ductu graditur, ad ima relabe-  
tur. Terreant vestigia!

Quid prodest sulcare maria, séque ven-  
tis dare in ludibrium? portum non attin-  
ges, nisi ad stellæ polaris aspectum navim